



בֵּית לְחֵדָה  
בְּגֹתָה

Seu  
**Annales Bethle-**

hemitici,  
DISSERTATIONE HISTORICO-  
CHRONOLOGICA DESCRIPTI,

*Quam*  
Sub PRÆSIDIO  
**ÆGIDI STRAUCHII, S.S.**

Theol. Licent. Mathem. Infer. Prof. Publ.

nec non Historiar. Substituti,

PLACIDÆ Συμφιλολογίαν COLLATIONI

EXHIBET

**PETRUS RÖDINGIUS,**

Hamburgensis,

D. XIV. Januar. Anno M DC LX.

EDITIO SECUNDA.

WITTEBERGÆ,

Ex officinâ Typograph. MICHAELIS Wendt.

Anno M DC LXI.


2411

19

160  
156

59

SPB



L. D. B. V.

§. I.

**D**oste aquām nuper  
de nomine, situ, & aliis, Pa-  
triā Mēstrāe concerentibus,  
actum à nobis est, restat ut in præ-  
senti res, in civitate & regione Bethle-  
hemita gestas, quarum nempe apud scriptores asservata est  
memoria, breviter recenseamus, seu ut Annales Bethlehemiticos delineemus. Quamvis autem eosdem à prima urbis  
Origine exordiri fas esset, attamen cum destruamur hīc mo-  
numentis Veterum, non aliunde, quam à divisione terrāe per  
sortem eosdem deducere possumus, reservatis iis, quae de Se-  
pulchro Rachel, in via Bethlehemitica, diu ante extructo,  
dicenda videntur, occasione proximā.

§. 2. Quando terrāe Sanctāe inter tribus Israeliticas par-  
titio facta & ager Bethlehemiticus tribui Judæ assignatus sit,  
primò omnium despiciendum erit. In Sacro codice duos  
maximè insignes characteres, annum οληγχίας determinan-  
tes, invenimus: Primum suppeditat Calebi sermo, ipsō tem-  
pore partitionis habitus, & Josuæ c. XIV, 10. seqq. annotatus:  
Nunc autem, inquit, vivum me conservavit DEus. Ecce jam  
quadragesimus quintus est annus, ex quo edixit Jehova edictum hoc  
Mosi (Num. 27. 17.) quum rediret Israel in desertum. Nunc ergo,  
ecce ego hodie natus sum octoginti quinque annos &c. E verbis  
hisce annum οληγχίας & distributionis terrāe Sanctāe inter  
singulas tribus, colligimus hoc modō: Exierunt Israēlitæ ex  
Ægypto anno Per. Jul. 3217. Mundi 2452. mense septimo, uti  
C 3 id.

C145

id alibi demonstravimus; Exploratores, quorum tempora in oratione sua nominat Caleb, emissi sunt anno secundō post Exodum, inde computandi veniunt quadraginta quinque anni, quos Caleb innuit; Summa exhibet annum P. Jul. 3262. Mundi 2499. quo divisio terræ per sortem contigit & regio Bethlehemita tribus Judæ peculum esse cœpit.

§. 3. Alterum characterem, quō annum hujus accidentis à multis ante & retro numeratis annis, distingvimus, præbet cycli Sabbathici numerus, qui PETAVI scepticismum insimul refutat. Scilicet adversus prius argumentum, quò annum  $\pi\lambda\eta\varrho\chi\lambda\alpha\zeta$  determinari posse diximus, excipit ille L. IX. de Doctr. Temp. c. XXV. Ex verbis Caleb, inquit, non tam præcisa anni primi  $\tau\bar{\iota}\varsigma\gamma\omega\chi\lambda\alpha\zeta$ , adeoque Sabbathici ratio potest iniri, quin unius aut alterius anni discrimen interponi queat. Nam inchoati anni, plerumq; Scripturæ consuetudine, pro completis & exactis, in numerum veniunt, & nescimus, utrum in eunte quadragesimo sexto anno ab Exodo, utrum desinente,  $\pi\lambda\eta\varrho\chi\lambda\alpha\zeta$  cœpta sit. Enim verò unius aut alterius anni discrimen interponi non potest, si perpendamus probè, annum  $\pi\lambda\eta\varrho\chi\lambda\alpha\zeta$  fuisse Sabbathicum, annum verò  $\gamma\omega\chi\lambda\alpha\zeta$  primum in Cyclo Sabbathico & initium totius cyclicæ hypotheseos. Audiamus Dei verba: *Alloquere filios Israhelis*, inquit Lev. 25, 2. seqq. edicens eis, cum ingressi fueritis in eam terram, quam ego do vobis; tum quiescat terra Sabbatho Jehovæ. Sex annis seminabis agrum tuum & sex annis putabis vineam tuam, & colliges proventum illius. Anno vero septimo Sabbathum cessationis esto ipsi terræ, Sabbathum Jehovæ: agrum tuum ne seminato & vineam tuam ne putato. Confer Deut. XV, 1. c. XXXI, 9. Exod. XXIII, 10. II. Ex his Dei ipsius verbis firmiter colligi non dubitamus, annum  $\pi\lambda\eta\varrho\chi\lambda\alpha\zeta$  fuisse prolepticè Sabbathicum, & subsequenti in cyclo Sabbathico historicè primum. *Cum ingressi fueritis in eam terram*, &c. inquit Dominus, non ingressum inchoatum, sed completum intelligens. Etsi enim Judæi, vivente Moysi, terram cis Jordanem occuparint, attamen de eodem ingressu verba citata intelligenda esse, nemo nobis persuadebit. Non decernam in præsenti, an terra cis Jordaniem

nem Cananæa ullibi vocetur, illud potius urgebo, dici haud posse, filios Israëlis ingressos esse in terram benedictam, eo tempore, quō ne quarta quidem pars Exercitus Judaici in Palæstina sua fixit tentoria. Imò ne Rubenitæ quidem & Gaditæ putandi sunt terram oromissam ingressi, quō tempore promiserunt: *Septa gregum struemus tantum pro pecore nostro, & civitates pro parvulis nostris, nos autem expediti erimus ad procedendum ante filios Israelis, usque dum introduxerimus eos in locum suum: Interea manebunt parvuli nostri in civitatibus istis munitis. Non redibimus in domos nostras, donec adierint filii Israelis quisque possessionem suam &c.* Num. XXXII, 16. Accedit ad hæc, quod in anno Sabbathico terra, per sex annos culta, quiescere debuerit. At Palæstinam, non potuerunt Judæi colere prius, quam universam terram occupassent, & inter se partiti essent. Quæ argumenta tantæ firmitatis & certitudinis visa sunt SCALIGERO, ut graviter invehatur in eos, qui anno-rum Sabbathicorum institutum aliunde deducere ausi sunt: *Cerebro si quidam (verba sunt Scaligeri L. III. Can. Isag. p. 282.) ajunt, annum primum γεωγίας, id est, quō populus Hebreus cœpit terram colere, missus in ejus possessionem, esse quadragesimum Exodi & primum ducatus Josuæ. Quorum pervicaciæ & stultitiae confutandæ satis erit opponere caput XIV. Libri Josuæ, ubi anno XLV. Exodi absoluto & XLVI. currente, nondum terra tota divisa erat. Quomodo ergo colebant, quam nondum possidebant. Sane κληροχία antecedere debet γεωγία. Ideò sapientissimi Veteres Judæi VII. annos τὴν κληροχίαν, assignandorum agrorum & subi-gendis hostibus dedicant. Sex sequentes τὴν γεωγίαν. Quartum decimum primum Sabbatho terræ, quod tam verum, quam semi-doctorum Theologastrorum fanaticorum falsa asséveratio. Primus annus κληροχίας est, quō primum in terræ Cananæa possessionem pedem posuerunt, duce Josua, & terram colere cœperunt. Ideò ἐτριπλάσια γεωγία Philoni dicitur, qui & ingressus in terram & obitus Mosis erat octavus. Primus enim annus κληροχίας est primus primæ hebdomadis annalis. Hactenus Scaliger.*

§. 4. Quod si itaque anni Per. Jul. 3262. Mundi 2499.  
Characterem in cyclo Sabbathico, quæramus, Annorum mundi

mundi numerus simpliciter dividatur per septenarium; ea enim hujus Epochæ est commoditas, ut per divisionem septenarii annum Sabbathicum indicet. De annis autem Per. Jul. notes, eorum quemvis dupli charactere Sabbathico insigniri posse; Anni enim cycli Sabbathici ineunt cum Autumno, anni autem P. Jul. cum Kal. Januar. Quare si respectu posteriorum mensium anni cuiusdam P. J. character Sabbathicus quadratur, dividatur summa annorum per septenarium, si idem character respectu priorum mensium ad Septembrem usque investigandus sit, numero annorum P. Jul. senarius prius addatur & tunc agatur ut antea dictum est. Positò calculò apparet annum quem nominavimus Sabbathicum fuisse, & congruere characteribus Biblicis.

§. 5. Ut autem *κληρονομία* anno Period. Jul. 3262. & sequenti factam esse probavimus satis, ita mirum profecto est, quod Bethlehami indistributione terræ, & catalogo civitatum tribus Iudæ nulla facta sit mentio. Nominatur equidem Bethlehem *Jos. XIX. vers. 15.* At diversa hæc civitas videtur à Messia patria, cum inter possessiones tribus Sabulon recensatur, tribus autem Iudæ possessio quando *Jos. XV.* describitur, altum est de Bethlehem silentium, quod textum Hebræum concernit. Nam Septuaginta Interpretes Bethlehem possessioni tribus Iudæ addiderunt. Meminit hujus dubii S. HIERONYMUS in Micheæ c. V. Legimus, ait, juxta LXX. duntaxat Interpretes in *JESU NAVE*, ubi tribus Iudæ urbes & oppida describuntur, inter cetera etiam hoc scriptum: Thæca & Ephrata, hæc est Bethlehem, & Phagor & Aetham & Culon & Tami & Soris, & Caræm & Gallim & Bæther & Manocho civitates XI. & viculi earum. Quod nec in Hebraico, nec apud alium invenitur interpretem: & sive de Veteribus Libris erasum sit malitia Judæorum, ne Christus de tribus Iuda ortus videretur, sive à LXX. additum, nequaquam liquido cognoscentes certum quid novimus. Forsitan à veritate non multum quis aberraret, si diceret, in bellis, quæ Israëlitæ cum infidelibus geserunt, civitatem Bethlehem prorsus excisam fuisse, & ideo tunc temporis pro nulla habitam, sive Jebusæos, Hierosolyma incolentes,

qui

qui eō tempore expelli non potuerunt, *Jos. XV. 53.* regionem Bethlehemi vicinam adeò infestasse, ut penes Judæos in censu venire commode non potuerit.

§. 7. Quid in primis, ab occupatione Palæstinæ, annis Bethlehemi gestum sit, fere nos latet, usque ad ea tempora, quibus familia Davidis innotescere cœpit; unde earundem rerum tantum mentionem faciemus, quarum in libris Historicis V. Test. conservata est memoria, & primò quidem *Judium XVII. 17.* seqq. recensetur *Historia de Levita*, qui in cap. sequente vers. 30. vocatur *Jonathan*; Eum è Bethlehem Juda oriundum fuisse, facile verba per suadent: *וַיְהִי נָעֵר מִבְּרֹת לְחֶסֶד וְהַזְּדָבָח* *Fuit autem puer è Bethlehemo Iehudæ &c.* Quamvis enim Interpretes non nulli & inter hos NICOL. SERARIUS quoque, Levitam non instar incolæ & civis, sed peregrini & advenæ ibi habitasse, ex eo colligant, quod in textu Hebreo addatur: *וְרוּשָׁם גָּרֶשׁ* *& fuerat peregrinus illuc; non incommodè tamen dici posset, eum omnino è Bethlehem ORIUNDUM fuisse, quam vocem JUNINS & TREMELLIUÈ versioni suæ inseruerunt. Videatur autem peregrinus vocari idèò, quod Bethlehemi Levitis nulla fuerit assignata habitatio, unde ibidem pro advenis habiti sunt. Cœterū quando acciderit historia hæc, obscurum videtur. Veritati quam maximè videtur contentaneum, non multum post mortem Josuæ eam accidisse, tum quod Levita adhuc juvenis fuerit & tamen filius Menasse, nepos Gersom, tum quod sequentium capitum de bello Bethlehemito historia, hac nostrâ videatur prior, tum denique quod minus videatur probabile, tribum Daniticam propriâ possesso diu carere potuisse, quod tamen dicitur de tempore Levitæ hujus *Jud. XVIII. 1.**

§. 7. Historiam de Levita à Micha conducto, à Danitica vero stirpe per fraudem & violentiam abducto, excipit historia alterius cùjusdam Levitæ, *Jud. c. XIX. & XX.* descripta. Dicitur ibidem Levitam quendam peregrinantem accepisse: *פָּוֹכְנֵשׁ מִבְּרֹת לְחֶסֶד וְהַזְּדָבָח* mulierem concubinam de Bethlehem Judæ. Nolumus hoc loco prolixo esse,

D

in

in vocis פולגש explicatione, possemus alias diversorum Autorum sententias adducere, ut TREMELLI & JUNII, qui concubinam vocatam putant, quod parentum consensu matrimonium confirmatum haud fuerit, NICOLAI SERARII qui Tremelli sententiam improbat, & legitimum matrimonium suisse putat, addens uxores veras quidem, sed secundarias, minusque honoratas, vocasse Judæos: פולגש שׁתְּ מִגְמָרִיָּה סַנְהֶדְרִיָּן quondam excerptimus, & cui quam proxime accedit GUIL. ESTIUS in L. IV. Sent. D. XXXIII. & Jud. c. XIX. ( per intelligens uxorem, quæ absquæ consuetis & solennibus ceremoniis in matrimonium assumitur,) in praesenti adduxisse sufficiat: Legitur ibidem אמר נשים ומאי פולגשibus אמר רבי יהודה אמר רשותם ככתובת זובקrown פולגשibus רבי יהודה אמר רשותם ככתובת זובקrown פולגשibus: Quid uxores, quid concubina? Ait Rabbi Jehuda: Uxores dotali instrumento & sponsalibus, concubinae sine his. Quicquid vero de Bethlehemita uxore sit, sive legitima, sive illegitima fuerit, horrendum certè Benjamitæ commiseruit facinus, quando contra hospitale gentium jus, dementati forsitan mulieris forma, (quam JOSEPHUS L. . Antiqv. c. II. mirificè commendat) & post multas rixas, hospitâ fœminâ per totam noctem ad satietatem abusi, mortis repentinæ ejusdem extiterunt causa, sive quod tam misere affecta, præ verecundia, non audens in mariti conspectum venire, quod hunc indignissimè rem latum putaret, humili collapsæ expirarit, sive quod labore, vexatione quæ corporis nimia defatigata, & quasi confracta, exanimata quæ fuerit. Utī vero hujusmodi flagitia Deus rarissimè impunita dimittit, ita non tantum Gibantonitæ, sed Benjamitæ omnes, qui scelus armis conabantur defendere, severissimam DEI ultionem experti sunt, dum tertium restauratò præliō; Israelitæ eosdem vicerunt & ad intercessionem cæciderunt.

§. 8. Quando Bellum Benjamiticum. ortum occasione crudelitatis, in Bethlehemiticam uxorem, ab incolis Gabæ adhibitam, acciderit, indubitate non liquet, quamvis enim ab Autore Libri Judicium post Samsonis historiam idem re-

cen-

censeatur & Sulpitius SEVERUS lib. i. Histor. Sacrae ordinem  
 Scripturæ secutus sit; Vix tamen ac ne vix quidem nisi ὅτε οὐκ  
 πέπληται h̄ic agnoscatur, h̄ec explicari possunt: Primo enim  
 clarèdicitur, historiam cum Levita utroque accidisse, quo  
 tempore non erat Rex, vel alias Magistratus in populo Israë-  
 litico, nempe post mortem Josuæ interregni cuiusdam tem-  
 pore; Secundo Jebusum, quod postea Hierosolyma vocârunt,  
 nondum erat ab Israelitis occupatum, quod patet ē Jud. XIX.  
 12. dicente enim puerō. propera quæso, ut divertamus in ipsam ci-  
 vitatem Jebusei, respondit Herus: Non divertemus in civitatem  
 alienigenæ, ex eis, quæ non sunt filiorum Israelis. Tertio, Sacer-  
 dotio tunc fungebatur Pinchas, filius Eleazar, filii Aaronis  
 Jud. XX. 28. quem post Samsonis tempora vixisse quis crede-  
 ret? cum Eleazar cōdem fere anno, quō Josua obiit, & ipse  
 videatur mortuus, ob ea, quæ dicuntur Jof. XXIV. 33. à mor-  
 te autem Josuæ usque ad mortem Samsonis, multo plures  
 quamducenti & trecenti fere anni effluxerunt, inter Judices  
 distribuendi. Hæ & similes rationes nos movent ut putemus,  
 diu ante Samsonem historiam Bethlehemiticæ & sc̄eminæ acci-  
 disse & bellum Benjamiticum absolutum fuisse. Neque nos  
 primi in ea sumus opinione, sed ante nos JOSEPHUS idem tra-  
 didit, quando L. V. Antiqu. c. II. immediatè post Historiam  
 mortis Josuæ & divisionis terræ per sortem, acta Levitæ, à Mi-  
 cha conducti, alterius Levitæ, cuius uxorem tam indignè Ben-  
 jamitæ tradidarunt, recensuit. Neq; dissimili ratione χρονογραφίαι  
 suam instituit Autor סדר עולם רבנן, qui putatur R.  
 MOSE BEN CHILPETA, præceptor R. Jude Sancti & circa annum  
 130. Christi vixisse dicitur; Paragraphum integrum adscribam,  
 quō de mente antiqui Chronologi plenias constet;  
 ואחריו בן גרשון שמנית שנחה ציון מהס שני שעבור  
 עגלון מלך מואב שמנית עשר שנחה מבומו הירח שמן  
 בן ענרת בסוף ימיו/ אותו הפרק בימי עגלון הירח/ ויהי  
 בימי שפט השפטים וגוי ושם חזיאש אלומלך וגוי  
 ימת אלומלך וגוי ואומר אל בנוותי וגוי ואומר בכלי  
 אשר יצאו יר רה/ הירח בכם/ נחשון בן אמיןרב מרץ

D 2

בשנה

בשנת השנויות לザארת בני ישראל מארץ מצרים /  
שלמן חזון מבאו הארץ ומרן אחר יהושע ובן כל  
הדור/ החותם/ ואלימלך אחיו שלם שלמן: Neque mul-  
tum ab hac sententia recedunt LYRA, TOSTATUS, VINCEN-  
TIUS, DION. PETAVIUS, HELVICUS, CALVISIUS, SERARIUS,  
SIMSONIUS, SANCTIUS, aliquique.

§. 9. Ceterum præ reliquis familiis, quæ in civitate Bethlehem celebritatem nominis nactæ sunt, excelluit Davi-  
dica, utpote è qua Christus secundum carnem, in plenitudine  
temporis, nasci debuit. Evidet à primis statim post Χριστό-  
γιανannis Satores Regii stematis Bethlehemi habitasse, inter  
alia ex eo colligitur, quod Elimelech, (quem Judæi tradunt  
Salmonis fratrem fuisse,) & Booz, Salmonis filius, in eadem  
celebres fuerint, & possessiones hæreditarias ibidem habue-  
rint, uti in Libro RUTH descripta, & Bethlehemi gesta, histo-  
ria edocet; de cuius tempore cum nihil definiverit Spir. San-  
ctus, qui, uti Interpretes vulgo tradunt, per Samuelem ean-  
dem describi voluit, neque nos certi quid & indubitati de  
anno hujus memorabilis rei gestæ proponere audemus. Ita  
quidem ab initio libelli citati legimus: *Fuit à quo tempore ju-  
dicabant Judices &c. Quis judicum in his verbis intelligatur,*  
dissentient Autores, JOSEPHUS enim L.V. c. XI. intelligit Sa-  
cerdotem Heli, quanno insit: *Post Samsonis obitum præfuit*  
*Israelitis Eli Pontifex, in cuius principatu famæ eam religionem*  
*invaserat, quam non ferens Abimelechus, Bethlemitorum civis, quod*  
*oppidum est tribus Judæ, assumpta uxore Naami & filius Chellione*  
*& Mallone, in Moabiticam terram migravit &c.* Enim vero non  
possumus in hac re ad stipulari Judæorum Historico, quod in-  
tertempora Eli & filii Salmon comitis Josuæ plures anni inter-  
cepti sint, quam duorum hominum ætas facile admittat. Iis  
potius ad stipulabimur, qui vel Deboræ & Barac temporibus  
nuptias Boozi & Ruth Bethlehemi celebratas esse autumant,  
quam hypothesis tuentur ALPHONSUS, TORNIELLUS, FUNC-  
CIUS, JUNIUS & TREMELLUS, &c. Vel ad tempora EGLON,  
Moabitarum Regis, easdem referunt. Autoris Chronicæ  
Hebræorum sententiam paulo ante adduximus.

§. 10.

§. 10. In eadem civitate non tantum Booz, sed Obed,  
 Isai & David quoque natos esse & habitasse, tum è Sacra liquet  
 historia, tum ex antiquissimis monumentis. Nam cenota-  
 phium Davidis Bethlehemi ostendi quemadmodum & Parris  
 Jesse, testis ADRICHOMIUS in *Theatr. Terr. S.* Et de tempore  
 quidem Nativitatis David in Bethlehem, è supputatione an-  
 norum biblica, certi esse possumus. Scilicet i. Reg. 1. 6. legimus:  
*Eactum est ergo anno quadringentesimo octuagesimo ab egressu Israe-*  
*litarum è terra Ægypti, anno quartō mense Ziv, regni Salomonis su-*  
*pri Israelem, ut ædificare inciperet domum Jēbōva &c.* E quibus  
 verbis colligimus, collatâ nempe Epochâ Exodi Israelitarum,  
 annum quartum regni Salomonici fuisse annum P. Jul. 3697. à  
 quô subtractis annis 73. cò, quod dicatur i. Sam. 1. V. 4. *Natus*  
*triginta annos David cum regnare cepit; quadraginta annis re-*  
*gnavit, residuum monstrat annum P. Jul. 3624. ante Christum*  
*1029.* quô ipsò, vel certè proximò, David Bethlehemi natus  
 est. Consentient nobiscum in hoc calculo probatissimi Chro-  
 nologi, UBBO EMMIUS in *Canone Chronic.*, EDUARDUS SIM-  
 SONIUS in *Basilicis s. Chronic. Catholici* parte tertia, qui eun-  
 dum annum Nativitati Regis Davidis assignant, CALVISIUS &  
 HELVICIUS, qui ab anno præcedente Regis ætatem computant,  
 aliquè ut nihil hīc moremur HEINRICI BUNTINGI calcu-  
 lum, qui in *Chronic. Cathol. p. 52.* nativitatem Davidis refert  
 ad annum ante Christum 1108. (quem ipse cum anno M. 2860.  
 conne&t.) committens adeò usq; ex eis uor 20 annorum fe-  
 rē, de quibus numeris, Buntingianis nempe, alibi dicemus.

§. 11. Utiautem de Anno Nativitatis Davidis satis con-  
 stat, ita deficiunt nos libelli Veteres Genealogici, quo minus  
 Natales Patris ejusdem, Avi, abavi & atavi, quos omnes  
 Bethlehemi habitasse certum est, determinare queamus, imo  
 non exiguum dubium hīc oboritur, an Genealogia Paren-  
 tuū Davidis cò ordine, qui recensetur Ruth. IV, 20. segg. pos-  
 sibilis fuerit nec ne?. Verba Historie Sacri sunt sequentia:  
*Nahasson genuit Salmon, Salmon genuit Booz. Booz genuit Obed.*  
*Obed genuit Isai; Isai genuit David.* Enimvero de Nahasson  
 constat, quod introierit is cum Josua terram promissam, &

vixerit jam Mosis tempore , uti legitur *Num. 1.7. c. 2.3. c. 7.12.*  
imò filius ejusdem Salmon è Rahab genuisse dicitur *Matth. 1.5.*  
quam temporibus Josuæ vixisse , quis ignorat ? *V. Jos. VI. 17.*  
Porro autem certum & hoc est , occupasse Judæos Palæstinam  
circa annum P. Jul. 3260. à quo usque ad annum P. Jul. 3624.  
quō putamus Davidem natum esse , intercepti sunt plures  
quam trecenti sexaginta anni , distribuendi inter generationes  
Salmon & Rahab , Booz & Ruth , Obed & Isai , unde sequitur ,  
quemvis horum centenarium ferè genuisse , quod nonnullis in-  
credibile videtur , quare duas referam hujus dubii solutiones  
celebriorum Interpretum.

§. 12. Primo itaqù existimant nonnulli , generationes  
quasdam in Codice Sacro esse omissas , & imprimis duos Boo-  
zos subintelligendos esse ; hòc sensu : *Salmon genuit Boozum ,*  
*Boozus genuit Boozum , Boozos genuit Boozum , Boozus genuit*  
*Obed &c.* Omissione autem Libri Ruth autorem Boozos prio-  
res , quod tædiosum putarit , toties unum idemqù nomen  
distinctarum personarum ingeminare ; Matthæum verò cau-  
sam omissionis habuisse numerationem suam , quam sibi præ-  
fixerat , tesseradecadicam . Imò mirum non esse , à Matthæo  
imprimis saltum hic fieri , cum & tres Reges in eadem serie  
genealogica ab ipso prætermitti legantur . Atqù hòc ratio-  
ne dubium illud solvere conantur , NICOLAUS de LTRA , SA-  
LIANUS , GENEBRARDUS , CATHARINUS , non repugnantibus  
CORNELIO JANSENIO , ESTHIO , aliisque . Enimvero circa hanc  
responsionem nobis videtur , notari posse sequentia : Primo ,  
quod in quatuor locis distinctis eadem prorsus habeatur Ge-  
nealogica recensio , nempe *Ruth. IV. 20. 21. 1. Paral. 2. 11. 12.*  
*Matib. 1. 4. Luc. III. 32.* at si duæ generationes omissæ essent , vel  
in uno horum locorum defectus completus fuisset . Secundo ,  
quod ita disertè Matthæo contradici videatur , qui vers. 17. in-  
quid πατερι δυοι γένεσις αβραμ αβραμ , γένεσις δεκαποτα-  
ρεσ : OMNES itaq; generationes ab Abraham usq; ad David ge-  
nerationes quatuordecim &c. Tertio , quod in recensione His-  
torico-Genealogica nullius nominis repetitio tædiosa & mo-  
lesta videri debeat , præstat enim idem nomen sc̄pius repe-  
tere

tere, quam lacinatam genealogiam, tantō hiatū patentem, exhibere. Quartò, Matthæum quidem tesseradecadicum generationum ordinem observasse, at nequaquam cum detrimento Historicæ veritatis. Non intulit in Scripturam, ut animi sui præconceptam opinionem, δεκατέσσαρες γένεας, sed easdem, cum maximam partem in Scriptura Veteris Testam. ita descriptas esse videret; impulsu Spiritus S. hōc convenientissimō ordine disposuit. Quintò. Regum, c. i. Matth. v. 8. omissorum; alia ratio est, quam supposititorum Booz, de iisdem enim ē 2. Reg. VIII. 24. c. XI. 2. 1. Chron. III. ii. 12. 2. Par. XXVI. i. satis constat; At de utroquè Booz, qui hōc locō ab Interpretibus inseritur, altum est in libris Historicis silentium. Neque in vers. 17. uti prius, dicitur; *Omnes generationes sed generationes à Davide usque ad transmigrationem Babylonis generationes quatuordecim &c..* Sexto denique sententia Lyræ falsæ innititur hypothesi, Boozum tempore Heli vixisse, qua de re diximus antea. Reliqui Interpretes, quibus solutio Lyræ placet; nodum adhuc magis intricant, quando numerum annorum inter introitum Israelitarum in terram Sanctam & nativitatem Davidis, occasione annorum, qui singulis iudicibus adscribuntur, adaugent, de quo computo alibi prolixius egimus.

**S. 13.** Nobis itaque magis placet eorum sententiā, qui prosapiam Davidis in locis citatis integrum extare, persuasi sunt, neque improbabile censem Davidem Patrem, avum, abavum & atavum ejusdem, vel saltem quosdam eorum à Parentibus senibus genitos esse. Ponamus, inquit, B. CHEMNITIUS Harm. Evang. c. iii. Salmonem non statim post ingressum in terram Chanaan, vel duxisse Rachabam, vel non statim genuisse ex illa, Booz, sed intercessisse annos circiter triginta, ac consequens erit tres illos, Booz, Obed, Jesse filios suos generasse circa annum etatis centesimum, quod fieri illis temporibus potuit: Atque ita non necesse erit fingere tres Booz, vel dicere aliquos in Genealogia illa omisso. Probabilem reddit sententiam hanc, hominum; qui pristinis Seculis vixerunt, mira fœcunditas; De Abrahamo enim constat, quod post centesimum quadragesimum annum plures

plures filios genuerit, Gen. 25, 1. 20. De Calebo item, quod octoginta quinque annos natus adhuc robustus fuerit & vites integras habuerit Joh. XIV. 11. Adde quod FR. SPANHEMIUS Dub. Evang. part. 1. Dub. III. indubitanter afferat, extraordinariam Dei benedictionem intercessisse, in majoribus illis Christi prole ditandis, etiam tum cum vigor illorum jam exaruisse videretur, ut illi charactere quodam extraordinariō designarentur, prout & ante ingressum Jacobi in Agyptum, mirum quid etiam in familia Iudea contigit, per extraordinariam ejus fœcunditatem. Denique Obed & Davidem à Patribus senibus jam genitos esse è Ruth. c. III. 10. 1. Sam. 17. 12. satis liquet.

S. 14. Eò ipso tempore, quô Davidis nomen innotescere cœpit, adversam fortunam experta est civitas. Legimus enim 2. Sam. XXIII. 13. seqq. 1. Paral. XI. 16. uti tres Heroes, in Exercitu regio præ reliquis conspicui, venerint ad Davidem, quando statio Philistinorum erat Bethlehem; Quumquè desideriō motus David diceret: ô si quis bibendam daret mihi aquam, è cisterna Bethlehem quæ est ad portam! Irruperunt tres Heroes in castra Philistinorum, & hauserunt aquam de cisterna Bethlehem, quæ erat juxta portam & attulerunt ad Davidem, at ille noluit bibere, sed libavit eam Domino &c. Qua temporis, quo devastatio illa accidit, designationem assentimur TIRINO. cui videtur contigisse historiam hanc circa initium regni Davidici, quando Jebusæis extorsit arcem Sion 2. Reg. V. 7. Tunc enim descendit David in Præsidium & Philistæi diffusi sunt in valle Raphaim, vers. 17. quæ duæ nota hic expressè ponuntur. Nec abs re esse evidentur, quæ CASPAR SANCTIUS in præsentem historiam annotat, putatis Davidem non sibi esse naturalem aquam de cisterna Bethlehem, nimis enim hoc muliebre fuisset, atque animi effeminati, sed recuperationem Patriæ suæ, quam Philistæi, cæsō Saule, invaserant, & validō præsidio detinebant. Atque hæc sitis regiō animo digna sunt, quam etiam paulo post, vi pulsis inde hominibus, illorum sanguine restinxit. De alia & quidem mystica sitis Davidicæ significatione, nolumus in præsenti disputare,

re,

2415.

re, adducendæ nobis essent alias piorum Patrum sententiae, qui desiderasse Davidem mysterii redemptionis nostræ complementum, per effusionem satisfactoriam sanguinis Christi è Bethlehem nascituri, unō fere ore referunt; hoc unum addimus monstrare hodiè num Jerosolymis Bethlehem euntibus, prope oppidulum sinistrâ, cisternam illam Davidicam, uti id ex itinerariis BREUNINGII, HELFRICI & aliorum liquet.

§. 15. Quamvis autem probabile sit, Patriam regiam jam Davidis tempore, fugatis hostibus, restauratam fuisse, imprimis tamen eandem exornavit & firmissimis munimentis circumdedit Salomonis filius Rehabeam, uti legimus 2. Par. XI, 6. quod circa annum P. J. 3740. accidisse ē ξενοτάξει Biblicā colligitur. Quando autem à Nebucadnezare tota Palæstina devastata est, fieri non potuit, quin & Bethlehem ferocissimi hostes deleverint, vel saltem incolis vacuam reliquerint. Quæ devastatio cum perpetua esse non debuerit, finienda Cyri temporibus, exules quoque Bethlehem reversi sunt, uti legimus, Neh. 2. VII, 26. à quibus, uti non dubitamus, civitas denuo restaurata, eidemque, quoad id temporum patiebarur ratio, pristinus nitor restitutus est.

§. 16. Neque verò ulla aliâ re civitas hæc celebrior facta est, quam salutiferâ nativitate JESU CHRISTI, quem in plenitudine temporis à B. Virgine ibidem natum esse, S. Evangelistæ unō ore testantur. Quamvis enim Josephus, cum desponsata sibi Deipara, Nazarethæ domicilium suum collocarit, singulari tamen Dei dispositione factum est, quando occasione descriptionis universalis, Maria partui vicina Bethlehemum venit, emensa 18. milliarium viam, uti BUNTINGIUS & alii computant. Digna profectò attentâ consideratione res est, uti rectè judicat FLACIUS: Mandatur census Judæorum ab Augusto, quô tum impletio Prophetiæ de ablatione Sceptri Iuda indicatur, tum occasio præbetur Christo nascendi in Bethlehem, juxta Prophetias, quò etiam ex illa nota Messias agnoscatur. Nam si perpetuo ibi Maria habittasset, casu, non divinâ providentiâ, factum videretur, ut ibi Jesus nasceretur. Nunc manifeste divinâ providentiâ hoc

E

factum

factum' esse cernitur. Insciens ergò Monarchā Mundū, puerulo huic pauperi, divina providentia ita res administrante, servit, tum & tempus nativitatis ejusdem, sublatō sceptrō testatur, & parentes ejus attrahit in Bethlehem, quo simul Josephi & Mariæ, è familia Davidis, ortus innotuit, de quo alias dubitari potuisset, utpote quorum gēnus in obscurō erat & jam ad infimam vitæ conditionem redactum, regii Stemmatis nihil præ se ferebat.

§. 17. Quamvis autem Mariæ & Josephi in civitate Bethlehem præcipua ratio haberi debuisset, ut Davidicæ prolis, tanta tamen ejus seculi fuit iniquitas, ut Beata Deipara, à purpuratis reliquis neglecta & contempta, extra κατάλυμα ad stabulum quoddam ablegata fuerit, ita enim de eadem S. Lucas cap. II, 7. αἰέναινεν ἀντὸν ἐν τῇ Φάτνῃ διέτη σὺν ἀντοῖς τόπῳ ἐν τῷ κατάλυμαν. Et reposuerunt cum in præsepe, ideo quod non esset locus pro ipsis in diversorio. Quod autem Christus in stabulo natus sit, putant nonnulli, ideo factum, ut etiam hāc ratione Deus testatum faceret, Filium hunc, Davidis filium esse, ejusdem cū parente fortunæ. De Davide enim constat, quod olim Pastor fuerit, qui vitam suo in stabulo forte, forte inquam, hoc ipso in loco, ubi Jesum Maria peperit, egerat, è Pastore ovium subito Rex factus, uti ipse fatetur Psalm. 78, 70. 71. 72.

§. 8. Porrò stabulum illud non constabat è tignis quibusdam junctis, sed pro regionis & sœculi indole intra saxa incisum erat. Est enim Hierosolymitana & Bethlehemita regio lapidosa & petrosa, uti STRABO L. XVI. eam describit, quō sensu à S. Patribus locus Nativitatis IESU vocatur σπήλαιον spelunca, & ab EUSEBIO passim τὸ τῆς γεννήσεως αἴρετο; (non αἴρετο uti L. VII. Demonstrat. in nonnullis exemplaribus legitur) Ab Eremitis quoque & qui loca sancta visitarunt, unō ore refertur, ostendi hodiè nativitatis Christi locum in Spelunca quadam subterranea, ad quam per aliquot gradus descendendum sit. Ostenditur ibi etiam ipsum præsepium, in quo Christum recens natum Beata Deipara reposuit, quod marmoreum esse & qua longitudinem  $\frac{5}{2}$ . Spithamarum, qua latitu-

latitudinem autem  $4\frac{1}{2}$ . testis est JOH. JAC. BREUNING.  
in Itinerario suo p. 258. ut oporteat Pontificiis frontem omnino  
periisse, qui Romæ in Basilica S. M. Majoris Præsepe ligneum  
ostendunt, in quo Christus quondam jacuerit, quo nomine à  
vesanis Papicolis religiosè visitur & colitur, uti ad. Luc. II, 7.  
CORNEL. à LAPIDE annotat. Cæterum an in eodem stabulo  
bos & asinus adfuerint, nec ne, inanis est disputatio; Veteres  
quidem de eo persuasos fuisse, ex antiqua illa cantilena  
liquet:

Cognovit bos & Asinus,  
Quod puer esset Dominus.

Et tempore Hieronymi vix ullum de hac re dubitasse è loco  
infra citando apparebit, imò ostendunt adhuc hodie, qui  
peregrinos illic excipiunt, bovis & asini præsepium. Nobis  
placet B. CHEMNITII ÆTINÆJÆ Harm. Evang. c. VIII. modestissimè addita: *Multa*, inquit, veteres de bove illo & asino phi-  
losophati sunt; sed conjecturæ tales: si sobriè usurpantur, sicut  
non odiosè exagitandæ, ita nec temerè asseverandæ pro dogmate.  
Nec opus est dubia & incerta, licet speciem aliquam verisimilitu-  
dinis habeant, curiosus conjectari, cum in illis evolvendis, quæ  
Spiritus S. per Evangelistas literis commendavit, utilius operam  
collocare possimus. Multò minus disputabimus prolixè de con-  
fortii bovini & asinini usu, an ideo ad præsepe Christi bos &  
asinus allegati fuerint, ut in rigore hiemis Christus halitu  
bovis & asini calesceret; an verò locum habeat G. NYSEN  
causa tropologica, quam in Serm. de Nativitate Christi allegat,  
dum ait: *Præsepe bestiarum est domus, in qua verbum nascitur,*  
*ut cognoscat bos possessorem & asinus præsepe Domini sui.* Bos  
autem est Iudæus legi subjugatus, asinus vero animal oneribus  
ferendis aptum, Gentilis sub gravissimo idolatriæ jugo gemens.  
Ordinarius autem brutorum animalium cibus est fœnum. Idcirco  
in præsepi, ubi pabulum brutorum poni solet, panis vita, qui de cælo  
descendit, proponitur, ut animalia quoque rationis experti rationalem  
cibum participarent. His & similibus allegoriis repleti  
sunt Veterum Libri, quas nostras non faciemus.

§. 19. Illud autem imprimis disquisitione dignum est, an stabulum, in quo Salvatorem enixa est Beata Virgo, intra urbem, an extra urbem fuerit; Censet enim B. CHEMNITIUS & alii quidem orthodoxi Theologi, fundamentum fidei, quā credimus in JESUM MARIE FILIUM, hanc quæstionem concernere. Si Christus, inquit ille, non est incivitate Bethlehem natus, non potest esse verus Messias, juxta vaticinia Prophetarum Mich. 5, 2. Quamvis autem an quæstio hæc tanti aestimanda sit, nec ne determinare non audeamus, improban-  
dos tamen eos censemus, qui primi hujus litis inter Christia-  
nos autores fuerunt, non ideo tantum quod patrocinium per-  
fidiae Judaicæ in se suscepisse videantur, de quo argumento  
alii dispiciant, sed quod vetustissimi annales, quos explicare  
Historici munus est, commentum hoc satis abundeque con-  
futent; Quod si enim Evangelistas, quorum scripta Annalium  
N.T. instar sunt, consulamus, non ἐγγὺς Βηθλεὲμ aut ἐν οὐρανοῖς  
Βηθλεὲμ sed ἐν Βηθλεὲμ Christum natum esse, in iisdem dici-  
tur V. Matth. 2, 1. Luc. 2, 7. Si consulamus Patres, uno forsitan  
Justino excepto, Christum in Bethlehem natum esse, constan-  
ter asserunt. Tacebo in præsenti è nullo Autore αἰνῆσθαι  
hactenus demonstrare potuisse, urbem Bethlehem, quæ ob  
exiguitatem alibi vicus vocatur, habuisse suburbia. Hoc  
unum urgeo & quæro: Annon Spelunca, in qua Salvator noster  
primum editus vulgo creditur, in ipso oppidulo monstratur?  
Enimverò traditio Vererum forsitan in dubium vocabitur?  
Nihil profecto tribuendum putarem dubiis Papistarum Sacris,  
si unanimi Patrum consensi contradicere, sociorum asseve-  
rationes ludibrio exponere, atque ea loca, quibus mira devo-  
tionem excitandi vis vulgo adscribitur, suspecta reddere au-  
derent. Ita ne decepta fuit Devotissima HELENA, quando  
Speluncæ Bethlehemiticæ splendidissimum imposuit tem-  
plum? Ita ne aniliter deliravit Nobilissima illa Mulier, PAU-  
LA ROMANA, cuius dæ voti animi motus, è Speluncæ Bethlehemiti-  
ci intuitu obortos, Beatus HIERONYMUS, vix ac ne vix  
quidem verbis exponere satis potuit? Bethlehem ingressa Paula,  
inquit in Epitaphio ejusdem ad Eustochium Tom. I. Oper. 5

in

in specum Salvatoris introiens, postquam vidi sacrum virginis diversorum & stabulum, in quo agnovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, ut illud impleretur, quod in eodem Prophetæ scriptum est: Beatus qui seminat super aquas, ubi bos & asinus calcant: me audiente jurabat, cernere se oculis fidei, infantem pannis involutum, vagientem in præsepe Dominum, magos adorantes, stellam fulgentem de super, matrem virginem, nutritum sacerdulum, pastores nocte venientes. Mixtisque gaudio lachrymis loquebatur: Salve Bethlehem domus panis, in qua natus est ille panis, qui de cœlo descendit. Salve Ephrata Regio uberrima, atq[ue] n[ost]ra O[ste]re, Cujus fertilitas Deus est. De te quondam Michæas vaticinatus est. --- Et ego misera, atque peccatrix digna sum iudicata, de osculari præsepe, in quo Dominus parvulus vagiit? Orare in spelunca, in qua virgo puerpera Dominum fudit infantem? Hæc requies mea; quia Domini mei patria est. Hic habitabo, quoniam Salvator elegit eam.. Paravi lucernam Christo meo.. Anima mea illi vivet & scmen meum serviet ipso..

§. 20. Atque ex iis quæ adduxi hactenus, satis, ut quidem opinamur, apparet, quid habendum sit de CÆSARIS BARONI sententia, quam ad A. Chr. I. N. 2. cum singulari quâdam confidentia proponit: Quod in primis ad locum ipsum, ait, ubi Christus est natus, attinet, spelunca fuit, in suburbis Bethleemiticis posita. Item: Erat Bethlehem supra collem in longum porrectum sita, in cuius extremitate Orientem versus sub rupe quodam existente tunc temporis, juxta mores civitatis, erat stabulum ac præsepe Domini, excisum in rupe, ubi natus est Christus. Eandem opinionem approbat CORN. à LAP. quando ad Mich. V. commentatur: Apparet speluncam banc non in ipsa urbe Bethlehem sitam fuisse, sed foris in agro suburbano, juxta muros urbis &c. Item, unde sequitur; Christum non in urbe natum, sed rure quasi rusticum puerum, ut eo quasi suo civi gratulari sibi possint rustici, ideoq[ue] cum eo dicere:

Nobis rura placent, Pallas quas condidit arces:

Ipsa colat.

At quando idem Cornelius ad Luc. cap. II, 7. commentatur, mutasse sententiam videtur, vel saltem dubitasse de eo, quod

E 3 olim

olim pro certo habuerat. Videantur propria Autoris verba. Cæterum argumentorum, quibus ii, qui contrariam nostræ defendunt sententiam & cui parti HEINSIUS, VOSSIUS, aliiq; accedunt, utantur, solutionem reservamus discursui. Conf. CASAUBON. Exerc. II. ad Annales Baron.

§. 21. Postquam verò vaticinia de Messia è Bethlehem oriundo impleta fuerunt, tota Judæorum Republica interire cœpit, unde nec oppidulum, in quo Christus natus est, conservari amplius opus erat. Quare à Tito Vespasiano, exercitus Romani Imperatore, unâ cum reliquis Palæstinæ civitatibus urbs Bethlehem deleta est, relictis saltem ruderibus, ut rerum olim gestarum conservaretur memoria. Accidit dubio procul horrenda clades eo tempore, quo Metropolis terræ Sanctæ obsecrata & devastata est, cujus excidium in annum P. J. 4783. Chr. 70. incidisse, alibi à nobis — demonstrabitur. Atque ita desit omnino Bethlehem Judæ, ut non existat amplius, cum distinctio tribuum & familiarum inter Israëlitas, ab universalis excidii & exilii tempore, combustis Genealogiarum libellis, observari amplius non potuerit, vicus quoque quem hodiè monstrant viatoribus, non Bethlehem Judæ, sed vel Turcarum, vel Christianorum vocandus videatur, uti hæc Celeberr. DN. D. MÜLLERUS *Judaismi detecti c. XII.* adversus Judæorum pertinaciam rectè urget, eosdemque erroris gravissimi, in expectando Messia à destructione Bethlehem Judæ deducto argumento, gnaviter convincit.

§. 22. Quamvis autem à Romanis civitas Bethlehem destruenda fuerit, Christiani tamen locum nativitatis Christi, inter rudera reliqua imprimis annotarunt; Certum enim est jam Origenis tempore hanc curam quosdam tenuisse, ut inquirerent ea loca in quibus miracula olim acciderunt. Osten ditur, inquit ORIGENES *L.1. contra Celsum*, in Bethlehem spelunca, ubi natus est Christus. Singulari verò Dei providentiâ accidit, quod à primis annis statim, post excidium Hierosolymitanum, Judæis, aliâs per totum orbem dispersis, regionem Bethlehemiticam incolere permisum non fuerit. Urget hoc in Libro adversus Judæos TERTULLIANUS & Messiam venisse jam demonstrat, quod cum in Bethlehem Juda nasci oportuerit, nemo

nemo autem de genere Istaël in civitate Bethlehem remanserit, imò quod interdictum fuerit, ne in confinio ipsius regionis emoretur quisquam Judæorum. Unde ungetur, inquit, dux qui nascetur in Bethlehem? aut quomodo procedet de Bethlehem, cum de semine Israel nullus omnino sit in Bethlehem? Imò in hunc diem usque Judæis ad civitatem Bethlehem non patet aditus, si vera sunt, quæ ab HELFRICO in descript. T. S. referuntur.

§. 23. Non latebat Ælium Adrianum Christianos ad loca sacra frequentes convenire, ibidemque Deo, pro beneficiis exhibitis, solennes agere gratias, quamvis superstitiosa meriti opinio tunc non adfuerit, quare ut Christianis agrè faceret, locum passionis Christi non tantùm, sed & incarnationis, erectis idolis, prophanavit. Conqueritur de hac immanitate Sulpitius SEVERUS Hist. S. L. II. Adrianus, inquit, existimans se Christianam fidem loci injurya perempturum, in templo ac loco Dominicæ passionis, dæmonum simulacra constituit; & de profanatione Speluncæ Nativitatis PAULINUS, in Epistola ad Severum testatur, quando ait: Ubi sacra nati Salvatoris infantia vagierat, illic Veneris lamenta fингentium lascivis luctibus, infamis ritus ululabat. Plura habet HIERONYMUS de Institutione Monachi ad Paulinum Tom. I. Oper. Ab Adriani temporibus, inquit, usque ad Imperium Constantini, per annos circiter centum octoginta, in Loco resurrectionis, simulacrum Jovis, in crucis rupe, statua ex marmore Veneris à gentibus posita colebatur; existimantibus persecutionis autoribus: quod tollerent nobis fidem resurrectionis & crucis, si loca sancta per idola polluissent. Bethlehem nunc nostrum & angustissimum (forsitan augustinum legendum est.) Orbis locum: de quo Psalmista canit: Veritas de terra orta est, lucus in umbrabat Thamus, id est, Adonidis: & in specu, ubi quondam Christus parvulus vagiit, Veneris amasius plangebatur. Non me fugit excusari à nonnullis Hadrianum, imò dici, Sulpitium Hadriano vim fecisse, cum Hadrianus, per Quadratum, Discipulum Apostolorum & Aristidem Atheniensem, virum fide & sapientiâ plenum: & per Serenum Granium, è libris de Christiana religione compositis, instructus atq; eruditus, præceperit per Epistolam ad Minutium Fundanum, Pro-

Consu-

Consulem Asiae datum, ut nemini liceret Christianos sine objectu criminis aut probatione damnare, uti id refert PAULUS OROSIUS L. VII. c. VIII. Enim verò cum non tantum à Sulpitio, sed Hieronymo quoq; ut alios omittam, Hadriano prophanatio hæc adscribatur, ea, quæ de Crypto Christianismo hujus Imperatoris à nonnullis annotantur, mihi de falsitate suspecta videntur.

§. 24. Quæ gentilium impietas idolatriæ destinaverat loca, ea pientissima HELENA, Constantini Imper. mater, cultui divino Sacra restituit. Postquam enim inuenit felicissimō à Nativitate Christi seculō, quod quartum fuit in ordine, Ecclesia Christiana halcyoneos dies nacta est, benignitatis divinæ monumenta studiosissimè inquire & inventa exornari cœperunt; in quo studio summè eminuit omni laude major Inclita HELENA, quippe quæ ea loca, in quibus Salvator noster vetus satus est, splendidissimis templis, Deo consecratis, exornavit, inter quæ Bethlehemiticum unum è præcipuis fuit, de quo EUSEBIUS L. III. de vita Conf. M. cap. XLII. sequentia refert: DEO quem adoraverat, duo dicavit templa, quorum alterum edificavit in monte, ubi ascenderat, alterum ad obscurum illud antrum Nativitatis ejus (Ἄρχει τῷ τῆς γεννήσεως αὐτοῦ.) Quia enim Deus in terris pro nobis nasci sustinuit, quem Nativitatis Ejus locum Bethlehem Hebræi appellant, ideo Imperatrix Sanctissima Deiparæ partum eximiis monumentis exornare, & sacrum illud antrum variis cuiusq; generis insignibus illustrare studuit. Imperator autem paulo post eundem locum ornamenti regalibus honorare & monumentis ex auro & argento variisque auleis matris suæ magnificen-tiam adaugere cœpit. Testantur de amplitudine & præstantia hujus templi rudera, quæ adhuc hodiè supersunt. V. BREU-NINGII Itiner.

§. 25. His & subsequentibus temporibus Christianorum quamplurimi Patria Salvatoris adeò delectati sunt, ut omnem vitam suam Bethlehem egerint. De Paula Romana dictum est anteā. De S. Hieronymo idem constat, Imò extat Tom. I. Oper. Hieronymi scriptum quoddam, quod ERASMUS ROTERODAMUS inter γνῶμα, seu ea, quæ verè sunt Hieronymi, recenset

recenset, Titulus est: Paula & Eustochium Marcellæ ut commigret Bethlehem, in quo scripto hoc unum agunt Paula & Eustochium (mater scilicet & filia) quæ jam demigrarant in Bethlehem, (vel Hieronymus potius nomine Paulæ & Eustochii) ut Marcellam nobilem fœminam permovereant, quo Româ relictâ ad loca sancta se conferat, fruitura tot Christi monumentis: O quando illud tempus adveniet, inquiunt, cum anhelus nuncium viator apportabit, Marcellam nostram ad Palæstinae littus appulsam, & toti Monachorum chori, tota virginum agmina concrepabunt? Obviam jamjamq; gestimus occurrere, & non expectato vehiculo concitum pedibus ferre corpus. Tenebimus manus, ora cernemus, & à desiderato vix avellemur amplexu. Ergo ne erit illa dies: quando nobis liceat speluncam Salvatoris intrare: In sepulchro Domini flere cum sorore, flere cum matre? Crucis deinde lambere lignum, & in oliveti monte cum ascendeante Domino, voto & animo sublevari? Videre exire Lazarum fasciis colligatum, & fluenta Jordanis ad lavacrum domini puriora: Inde ad Pastorum caulas pergere, in David orare Mausoleo? Amos Prophetam etiam nunc buccina pastorali in sua conspicere rupe clangentem? Ad Abraham Isaac & Jacob, tritum quoq; illustrium fœminarum vel tabernacula properare, vel memorias? Videre fontem, in quo à Philippo Eunuchus est tinctus? Samariam pergere, & Johannis Baptiste, Helisei quoq; & Abdiæ pariter cineres adorare? Ingredi Speluncas, in quibus persecutionis, & famis tempore Prophetarum agmina sunt nutrita? Ibimus ad Nazareth: & juxta interpretationem nominis ejus, florem videbimus Galileæ, Et tunc comitante Christo cum per Silo & Bethel & cetera loca, in quibus Ecclesie, quasi quedam victiarum Domini sunt erecta vexilla: ad nostram speluncam redierimus, canemus jugiter, crebro flebimus, indesinenter orabimus & vulneratae jaculo Salvatoris in commune dicemus, inveni quem quæsivit anima mea: tenebo eum & non dimittam illum, &c.

§. 26. Vides quantam animorum commotionem intentus locorum Sacerdotum efficere potuerit, eō quidem seculō, quō parvus pius sibi videbatur, qui Bethlehem & Hierosolymis non fuisset, non quod putarint Veteres, peregrinationes

F

ad

ad loca Sacræ simpliciter necessarias esse, vel merendi virtutem habere, sed quod stimulos ardentissimarum precum & inculpatæ vitæ in iisdem locis vehementer senserint. Non possumus, quin ex eruditissima illa HIERONYMI ad Paulinum Epistola, quâ de institutione Monachi agit, quædam recensemus, quô historicè cognoscamus quæ fuerit Veterum Bethlehem & Hierosolymam commigrantium opinio & intentio. Theologicè eandem examinent alii : Non Hierosolymis fuisse, inquit Beatus Pater, sed Hierosolymis bene vixisse laudandum est. Illa expetenda est civitas, non quæ occidit Prophetas, & Christi sanguinem fudit : sed quam fluminis impetus ædificat : quæ in monte sita, celari non potest : quam matrem sanctorum Apostolus clamitat. In qua se municipium cum justis letat habere. Neg̃ verò hoc dicens memetipsum inconstantia redarguo, damnoq̃ quod facio : ut frustrà videar ad exemplum Abraham & meos & patriam reliquisse, sed non audeo Dei omnipotentiam, angusto fine concludere & coarctare parvo terræ loco, quem non capit cœlum. Singuli quig̃ credentium, non locorum diversitatibus, sed fidei meritò ponderant. Et veri adoratores, neg̃ Hierosolymis, neg̃ in monte Gazarim adorant patrem : quia Deus Spiritus est : & adoratores ejus in Spiritu, & veritate adorare oportet. Spiritus spirat ubi vult, Domini est terra & plenitudo ejus. Postquam siccato Judeæ vellere universus orbis cœlesti rore profusus est : & multi de Oriente & Occidente venientes recubuerunt in sinu Abrahæ. Desit notus esse tantum in Judea Deus : & in Israel magnum nomen ejus : sed in omnem terram exivit sonus Apostolorum, & in fines orbis terræ verba eorum, Salvator ad discipulos loquens, cum esset in templo : Surgite : inquit ; abeamus hinc. Et ad Judæos : Relinquetur vobis domus vestra deserta. Si cœlum & terra transibunt : utique transibunt omnia, quæ terrena sunt. Et crucis igitur & resurrectionis loca profundit his, qui portant crucem suam, & cum Christo resurgunt quotidie : qui dignos se tanto exhibent habitaculo. Ceterum qui dicunt, templum Domini, templum Domini, audiant ab Apostolo : Vos estis templum Domini, & Spiritus sanctus habitat in vobis. Et de Hierosolymis & de Britannia, æqualiter patet aula cœlestis. Regnum enim intra vos est. Antonius & cuncta Aegypti, & Me-

Et Mesopotamiae, Ponti, Cappadociae, Et Armenie examina Monachorum, non videre Hierosolymam, Et patet illis absque hac urbe Paradisi janua. Beatus Hilarion cum Palestinus esset, Et in Palæstina viveret, uno tantum die vidit Hierosolymam: ut nec contemneret loca sancta propter viciniam, nec rursus Dominum loco claudere videretur. Ne quicquam fidei tuae deesse putas, quia Hierosolymam non vidi; nec nos idcirco meliores existimes, quod hujus loci habitaculo fruimur: sed sive hic, sive alibi, aequaliter pro operibus tuis apud Dominum nostrum habere mercedem, Et c.

§. 27. Tandem verò pleraque Christianæ vitæ vestigia deleta sunt, quando barbara Saracenorum gens terram sanctam occupavit, ut commentitia sint vel incerta, quæ hodie illic monstrantur. Accidit miseranda clades tempore Heraclii Imperatoris; Annō enim ejusdem vigesimō sextō, Christi sexcentesimō quadragesimō primō, Saraceni, sub Duce Homar, adversus Hierosolymam acies direxerunt, quæ bienniō obsessa ad hostem dditionem fecit. Moliti equidem sunt Christiani terram sanctam Saracenis eripere, quando circa finem seculi undecimi, instigatore PETRŌ Hispanō Eremitā, & suasu URBANI II. Pontificis Romani plerique Europæi Principes ad bellum Sacrum se accinxerunt atq; exercitum 60000. militum (ut nonnulli scribunt,) adversos Turcas & Saracenos eduxerunt, quorum quilibet Crucem è purpureo panno confectam, vestibus super dextram scapulam affixit, unde qui profecti sunt in eam expeditionem CRUCE SIGNATI & ipsa expeditio CRUCIATA vocata est: Verè tamen multis Christianorum millibus cruciatus & calamitates Sacrum Bellum attulit; Quamvis enī expeditio hæc ab initio satis feliciter suscepta videretur, dum ducibus GODEFREDO BILONENSI LOTHARINI PRINCIPE, EUSTACHIO & BALDUINO ejus fratribus, HUGONE M. Fratre Regis Francorum, ROBERTO Comite Normannorum, BOEMUNDO duce Apuliæ & infinitis aliis, annō, uti annotat GENEBRARDUS 1099. Idibus Jul. fer. 6. Horâ, quâ Christus mortuus est, Christiani Hierosolymam ipsam expugnarunt, editâ tantâ hostium Strage, ut, teste ROBERTO MONACHO corpora cæforum, undâ Sangvinis impellente, natari

ac fluitarint, adversa tamen omnia Christianis paulo post acciderunt, adeò, ut Metropolis ipsa, postquam octoginta & octo annis à Christianis habitat esset, tandem amilla & tota Palestina à Barbaro hoste recuperata fuerit, nequaquam obstantibus Friderico Imperatore Romano, Philippo Galliae & Richardo Angliae Regibus, aliisque. Quâ ratione bellô hōc Christiani nihil aliud obtinuerunt, notante CL. HOTTINGERO, quam quod à victoribus paulo pōst Saracenis & duriore pressi fuerint servitute, loci illius Christicole, & quod ipsa fides Christiana, propter sceleratam coloniarum vitam, perpetua & perniciosa principum dissidia blasphemata fuerit. Atque hæc de Annalibus Bethlehemiticis dixisse sufficiat, Laudarene alii Imperatorum vel Principum natale solum, nos Regis Regum & Domini Dominantium laudavimus patriam: Bethlehem ecce in hoc parvo terræ faramine, cælorum conditor natus est. Hic involutus pannis, hic visus à pastoribus, hic demonstratus à stella, hic adoratus à Magis: Et puto sanctior locus est Trapeja, quæ de cœlo sepius fulminata, ostendit quid Deo displiceat. Utinam adhuc ea ibi esset rerum facies, quæ HIERONYMI tempore, cuius proxima fuerunt verba, ut dicere queamus, quod ille ad Marcellam: In Christi villa tota rusticitas est. Extra Psalmos silentium est. Quocunq; Te verteris, arator stivam tenens Alleluja decantat. Sudans messor Psalmis se avocat, Et curva attondens vires falce vinit, aliquid Davidicum canit. Hæc sunt in hac provincia Carmina: haec (ut vulgo dicitur) amatoria cantiones!

**C**ommendare hominem solet inclita Patria, quidni  
Commendet Patriam quoque splendida origo Virorum?  
Sic est: quid multis? Bethlehami mœnia spectes  
Oppiduli vilis, cuius jam nomen in altum,  
Quantum lenta solent inter viburna Cupressi;  
Natales Christi tollant, ortusq; Parentum.  
Hoc docte tradis RÖDING: Sic pergit, famam  
Præclaram facies Patriæq; Patrisq;; Quod opto!

PRÆSES.

SOLI DEO GLORIA.


WITTENBERG, Diss., 1660



3

SB

brr



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

